

norum quod Socrati præceptorī offerret, se ipsum
 Socrati donavit, utque munus hoc qualecunque
 boni consuleret rogavit. Cui Socrates respondit:
*Quidni tu magnum mihi munus dederis, nisi forte
 parvo te aestimas.* Quam pauperrimi Æschinis li-
 beralitatem Seneca ita extollit: *Vicit Æschines hoc
 munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnem
 juvenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo
 animus inveniat liberalitatis materiam etiam inter
 angustias.* Adeoque III. Liberalitas potissimum
 judicanda est ex animo, cum τὰ χρήματα five di-
 vitiae nihil aliud sint quam ministeria mentis, qui-
 bus homines voluntatem benefaciendi extrinsecus
 declarant. Apparet id ex exemplo viduæ *Luc. XXI.*
i. seq. consignato, de qua, cum reliqua ex omni
 substantia duo λεπτὰ in gazophylacium immisisset,
 Christus pronunciat, *quod plus immiserit quam o-*
mnes, hac addita ratione: *Nam omnes (divites) ex*
abundanti sibi miserunt in munera Dei; hæc autem ex
penuria sua, omnem victum suum quem habuit, misit.
 Ergo ante Dei oculos, ut loquitur Augustinus in
Homiliis in S. Joannem, non est manus vacua à mu-
 nere, si arca cordis plena est bona voluntate. Nec
 tam res data, quam voluntas dantis beneficium est;
 id quod Seneca *Lib. III. de Beneficiis* ita explicat:
Multum, inquit, interest inter materiam beneficii, &
beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quic-
quid eorum, quæ a proximis recipiuntur, beneficium
est; sed ipsa tribuentis voluntas. Imperiti autem, quod
tradi-

Ratio
 III.
 Libe-
 ralitas
 potissi-
 mum
 judi-
 canda
 est ex
 animo.